

Robert Wallisch

F L O R I L E G I U M L A T I N U M

EIN LATEINISCHES LESEHEFT MIT ADAPTIERTEN ORIGINALTEXTEN

AUS ANTIKE, MITTELALTER UND NEUZEIT.

ZUR LATEINERGÄNZUNGSPRÜFUNG

DER UNIVERSITÄT WIEN



© 2008 by Robert Wallisch, Wien.

A N T I K E

RÖMISCHE PHILOSOPHIE

MARCUS TULLIUS CICERO

De Natura Deorum II, 115-116 (Schwerkraft in einem geschlossenen Universum)

Stabilis est mundus atque cohaeret. Omnes enim partes eius undique medium locum capessentes nituntur aequaliter. Maxime autem corpora inter se iuncta permanent, cum quasi quodam vinculo circumdato colligantur. Quod facit ea natura, quae per omnem mundum - omnia mente et ratione conficiens - funditur et ad medium rapit extrema. Quocirca si mundus globosus est ob eamque causam omnes eius partes inter se continentur, contingere idem terrae necesse est, ut omnibus eius partibus in medium vergentibus nihil sit, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. Eademque ratione mare, cum supra terram sit, medium tamen terrae locum expetens conglobatur undique aequabiliter neque redundat umquam neque effunditur.

LUCIUS ANNAEUS SENECA

Naturales Quaestiones I, praef. 11-14 (Wahrnehmung des Weltalls)

Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis minima, etiam cum illis utrimque oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur. ... Cum illa tetigit, alitur, crescit ac velut vinculis liberatus in originem redit et hoc habet argumentum divinitatis suae, quod illum divina delectant. ... Secure spectat occasus siderum atque ortus et tam diversas concordantium vias. Observat, ubi quaeque stella primum terris lumen ostendat, ubi columnen eius sit. Curiosus spectator excutit singula et quaerit. Quidni quaerat? Scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicilii prioris angustias. Quantum est enim, quod ab ultimis litoribus Hispaniae usque ad Indos iacet? Paucissimorum dierum spatium, si navem suus ferat ventus. At illa regio caelestis per triginta annos velocissimo sideri viam praestat nusquam resistenti sed aequaliter cito. Illic demum discit, quod diu quaesiit. Illis incipit deum nosse. Quid est deus? Mens universi. Quid est deus? Quod vides totum et quod non vides totum. Sic demum magnitudo illi sua redditur (qua nihil maius cogitari potest), si solus est omnia, si opus suum et intra et extra tenet. Quid ergo interest inter naturam dei et nostram? Nostri melior pars animus est; in illo nulla pars extra animum est.

De brevitae vitae, 3, 2ff

Agedum ad computationem aetatem tuam revoca. Dic, quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum rex, quantum cliens abstulerit, quantum lis uxoria, quantum officiosa per urbem discursatio. Videbis te pauciores annos habere quam numeras. Quid ergo est in causa? Tamquam semper victuri vivitis, numquam vobis fragilitas vestra succurrit, non observatis, quantum iam temporis transierit. Ille ipse dies, qui alicui vel homini vel rei donatur, ultimus esse potest. Omnia tamquam mortales timetis, omnia tamquam immortales concupiscitis.

Audies plerosque dicentes: "A quinquagesimo anno in otium secedam, sexagesimus me annus ab officiis dimittet." Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? Quis ista, sicut disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitae tibi reservare et id solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam aliam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est! Quae tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia et inde velle vitam inchoare, quo pauci eam perduxerunt!

RÖMISCHE GESCHICHTSSCHREIBUNG

C.IULIUS CAESAR

De bello gallico 6,14 (Die Druiden)

Druides a bello abesse consueverunt neque tributa pendunt. Multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis utantur litteris..... In primis hoc volunt persuadere non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

PUBLIUS CORNELIUS TACITUS

Annales, XV; 39 (Der Brand Roms)

... Quidam amissis omnibus fortunis, alii caritate suorum, quos <ex incendio> eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interierunt. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent, seu iussu.

Eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est, quam domui eius ignis propinquaret. Tum solacium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit et subitaria aedificia extruxit, quae multitudinem inopem acciperent. Subvecta utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. Quae quamquam popularia in irritum cadebant, quia pervaserat rumor ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scaenam et cecinisse Troianum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem.

PAULUS OROSIUS

Historiae adversus paganos, VII, 7 (Der Brand Roms)

Denique <Nero> urbis Romae incendium voluntatis suae spectaculum fecit. Per sex dies septemque noctes ardens civitas regio pavit aspectus. Horrea quadro structa lapide magnaevae illae veterum insulae, quas discurrens flamma adire non poterat, magnis machinis labefactatae atque inflammatae sunt, ad monumentorum deversoria infelici plebe compulsae. ... Quod ipse ex altissima illa Maecenatiana turre prospectans - laetusque flammae, ut aiebat, pulchritudine - tragico habitu Iliadam decantabat.

PLINIUS D. JÜNGERE

Buch 6, Brief 16 (Der Vesuv-Ausbruch 79 n.Chr.)

C. Plinius Tacito Svo S.

Avunculus meus erat Miseni classemque regebat. Nonum kal. Septembres (24. Aug.) hora fere septima mater mea indicat ei adparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus est ille sole, mox aqua frigida, gustaverat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes procul intuentibus ex Vesuvio exoriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem vanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa prout terram cineremve sustulerat. Magnum propiusque noscendum eruditissimo viro visum est. Iubet liburnicam aptari; mihi, si venire una vellem, facit copiam; respondi studere me malle. Egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae imminenti periculo exterritae nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga: orabat, ut se tanto discrimini eriperet. Vertit ille consilium et quod studioso animo incohaberat obit maximo. Properat illuc, unde alii fugiunt, Rectinamque multosque alios servat;

EROTISCHE LYRIK IN ROM

P. OVIDIUS NASO

Amores 1, 5

Aestus erat, mediamque dies exegerat horam;
adposui medio membra levanda toro.
pars adaperata fuit, pars altera clausa fenestrae;
quale fere silvae lumen habere solent,
qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo,
aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.
illa verecundis lux est praebenda puellis,
qua timidus latebras speret habere pudor.
ecce, Corinna venit, tunica velata recincta,
candida dividua colla tegente coma
qualiter in thalamos famosa Semiramis isse
dicitur, et multis Lais amata viris.
Deripui tunicam nec multum rara nocebat;
pugnabat tunica sed tamen illa tegi.
quae cum ita pugnaret, tamquam quae vincere nollet,
victa est non aegre prodicione sua.
ut stetit ante oculos posito velamine nostros,
in toto nusquam corpore menda fuit.
quos umeros, quales vidi tetigique lacertos!
forma papillarum quam fuit apta premi!
quam castigato planus sub pectore venter!
quantum et quale latus! quam iuvenale femur!
Singula quid referam? nil non laudabile vidi
et nudam pressi corpus ad usque meum.
Cetera quis nescit? lassique requievimus ambo.
proveniant medii sic mihi saepe dies!

C. VALERIUS CATULLUS

c.32

Amabo, mea dulcis Ipsitilla,
 meae deliciae, mei lepores,
 iube ad te veniam meridiari.
 et si iusseris, illud adiuvet nos,
 ne quis liminis obseret tabellam,
 neu tibi libeat foras abire,
 sed domi maneat paresque nobis
 novem continuas fututiones.
 verum, si quid ages, statim iubendum est:
 nam pransus iaceo et satur, supinus
 pertundo tunicamque palliumque.

RÖMISCHE ALLTAGSKULTUR**Aus dem Kochbuch des Apicius: Porcellum coriandratum (Spanferkel mit Koriander):**

Assas porcellum diligenter. Facies mortarium sic, in quo teres piper, anethum, origanum, coriandrum viride. Admisces mel, vinum, liquamen, oleum, acetum, defritum. Haec omnia calefacta perfundes et aspargis uvam passam, nucleos pineos et cepam concisam et sic inferes.

Graffito am Haus der Vettii, Pompei.

Eutythis
 Graeca assibus II,
 moribus bellis.

Graffito an der Hinterwand eines Hauses in Region 8, Pompei.

Minimus in lecto. Fateor, peccavimus, hospes.
Si dices: „quare?“ - Nulla matella fuit.

Graffito eines Hauses in Region 6, Pompei

Si quis non vidit Venerem, quam pinxit Apelles,
pupa mea aspiciat: talis et illa nitet.

AUS DEM NEUEN TESTAMENT DER VULGATA

AUS DER BERGPREDIGT

secundum Matthaeum 5, 4 - 12

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

secundum Matthaeum 5, 44-48

Diligite inimicos vestros. Benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est. Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos. Si enim diligatis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est!

secundum Lucam 6, 35 - 38

Verumtamen diligite inimicos vestros et benefacite et mutuum date nihil desperantes, et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi; quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite iudicare et non iudicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini, dimittite et dimittemini, date et dabitur vobis.

HEILIGER GEIST UND TRINITÄTSLEHRE

secundum Iohannem 3, 1- 8

Erat autem homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum. Hic venit ad eum nocte et dixit ei: *rabbi scimus, quia a Deo venisti. Magister nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Respondit Iesus et dixit ei: *Amen amen, dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Dicit ad eum Nicodemus: *Quomodo potest homo nasci, cum senex sit? Numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et nasci?* Respondit Iesus: *Amen amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. Spiritus, ubi vult, spirat; et vocem eius audis, sed non scis, unde veniat et quo vadat. Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.*

secundum Iohannem 14, 9 - 28

Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe? Qui vidit me, vidit et Patrem. Quomodo tu dicis: *ostende nobis Patrem*? Non credis, quia ego in Patre et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite! Amen amen, dico vobis: qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium paraclatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit. Non relinquam vos orfanos. Veniam ad vos. Adhuc modicum et mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo et vos vivetis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo et vos in me et ego in vobis. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum. Dicit ei Iudas, non ille Scariotis: Domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es te ipsum et non mundo? Respondit Iesus et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansiones apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris. Haec locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non turbetur cor vestrum neque formidet! Audistis, quia ego dixi vobis: vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater maior me est.

CHRISTLICHES ROM

AUGUSTINUS

Confessiones IX, 10 (Die „Ostia-Meditation“)

Impendente autem die, quo ex hac vita erat exitura ... , provenerat – ut credo, procurante Te occultis tuis modis – ut ego et ipsa soli staremus incumbentes ad quandam fenestram, unde hortus intra domum, quae nos habebat, prospectabatur, illic apud Ostia Tiberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi. Conloquebamur ergo soli

... Erigentes nos ardentiore affectu in „id ipsum“ perambulavimus gradatim cuncta corporalia et ipsum caelum, unde sol et luna et stellae lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando et loquendo et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in aeternum veritatis pabulo. Et ibi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quae fuerunt et quae futura sunt. Et ipsa non fit, sed sic est, ut fuit, et sic erit semper. Quin potius fuisse et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam aeterna est. Nam fuisse et futurum esse non est aeternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis ...

Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiae terrae et aquarum et aeris, sileant et poli et ipsa sibi anima sileat et transeat se non se cogitando, sileant somnia et imaginariae revelationes, omnis lingua et omne signum si cui sileat omnino, ... ut audiamus verbum Eius, non per linguam carnis neque per vocem angeli nec per sonum nubis nec per aenigma similitudinis, sed ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos et rapida cogitatione attigimus aeternam sapientiam super omnia manentem, – si continetur hoc ..., ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intellegentiae, cui suspiravimus, nonne hoc est: „intra in gaudium domini tui“ (1 Kor.)?

Confessiones XI, 28 - 30 (Untersuchung des Zeitbegriffs)

Quomodo minuitur aut consumitur futurum, quod nondum *est*, aut quomodo crescit praeteritum, quod iam non *est*, nisi quia in animo, qui illud agit, tria *sunt*: nam et expectat et attendit et meminit, ut id, quod expectat, per id, quod attendit, transeat in id, quod meminerit. Quis igitur negat futura nondum *esse*? Sed tamen iam *est* in animo expectatio futurorum. Et quis negat praeterita iam non *esse*? Sed tamen *est* adhuc in animo memoria praeteritorum. Et quis negat praesens tempus carere spatio, quia in puncto praeterit? Sed tamen perdurat <animi> attentio

... at ego in tempora dissilui, quorum ordinem nescio, et tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meae, intima viscera animae meae, donec in te confluam purgatus et liquidus igne amoris tui. Et stabo atque solidabor in te, in forma mea, veritate tua, nec patiar quaestiones hominum, qui poenali morbo plus sitiunt quam capiunt, et dicunt: *Quid faciebat deus, antequam faceret caelum et terram?* aut *Quid ei venit in mentem, ut aliquid faceret, cum antea numquam aliquid fecerit?* – Da illis, domine, bene cogitare, quid dicant, et invenire, quia non dicitur *numquam*, ubi non *est* tempus. ... Videant itaque nullum tempus *esse* posse sine creatura et desinant istam vanitatem loqui.

M I T T E L A L T E R

VAGANTENLYRIK

TRINKLIED

Carmen Buranum 196 (12. Jh.)

1

In taberna quando sumus,
 non curamus, quid sit humus,
 sed ad ludum properamus,
 cui semper insudamus.
 Quid agatur in taberna,
 ubi nummus est pincerna,
 hoc est opus ut quaeratur;
 sed quid loquar, audiatur:

2

Quidam ludunt, quidam bibunt,
 quidam indiscrete vivunt;
 sed in ludo qui morantur,
 in his quidam denudantur,
 quidam ibi vestiuntur,
 quidam saccis induuntur;
 ibi nullus timet mortem,
 sed pro Baccho mittunt sortem.

3

Primo pro nummata vini;
 ex hac bibunt libertini:
 semel bibunt pro captivis,
 post haec bibunt ter pro vivis,
 quater pro Christianis cunctis,
 quinquies pro fidelibus defunctis,
 sexies pro sororibus vanis,
 septies pro militibus silvanis,

4

octies pro fratribus perversis,
 novies pro monachis dispersis,
 decies pro navigantibus,
 undecies pro discordantibus,
 duodecies pro paenitentibus,
 tredecies pro iter agentibus,
 tam pro papa quam pro rege
 bibunt omnes sine lege.

5

Bibit hera, bibit herus,
 bibit miles, bibit clerus,
 bibit ille, bibit illa;
 bibit servus cum ancilla,
 bibit velox, bibit piger,
 bibit albus, bibit niger,
 bibit constans, bibit vagus,
 bibit rudis, bibit magus.

6

bibit pauper et aegrotus,
 bibit exul et ignotus,
 bibit puer, bibit canus,
 bibit praesul et decanus,
 bibit soror, bibit frater,
 bibit anus, bibit mater,
 bibit iste, bibit ille,
 bibunt centum, bibunt mille.

7

Parum sescentae nummatae
 durant, cum immoderate
 bibunt omnes sine meta,
 quamvis bibant mente laeta.
 Sic nos rodunt omnes gentes,
 et sic erimus egentes.
 Qui nos rodunt, confundantur
 et cum iustis non scribantur!

FRÜHLINGSLIED

Carmen Buranum 143

Ecce gratum
 et optatum
 ver reducit gaudia.
 Purpuratum
 floret pratum,
 sol serenat omnia.
 Iamiam cedant tristia!
 Aestas redit,
 nunc recedit
 hiemis saevitia

ZWEI PASTOURELLE

Carmen Buranum 90

Exiit diluculo
 rustica puella
 cum grege, cum baculo,
 cum lana novella.

Sunt in grege parvulo
 ovis et asella,
 vitula cum vitulo,
 caper et capella.

Conspexit in caespite
 scholarem sedere:
 "Quid tu facis, domine,
 Veni mecum ludere!"

Carmen Buranum 185

Refrain:

Hoy et oe!
maledicantur tiliæ
Hoy et oe!
iuxta viam positæ

Ich was ein chint so wolgetan
virgo dum florebam
do briste mich wol diu werlt al
omnibus placebam

„Iz stat ein linde wolgetan
non procul a via
da hab ich mine harphe lan
tympanum cum lyra.“

Ia wolde ich an die wisen gan
flores adunare
do wolde mich ein ungetan
ibi deflorare

Do er zu der linden chom
dixit: „sedeamus“
diu minne twanc sêre den man
„ludum faciamus“

Er nam mich bi der wizen hant
sed non indecenter
er wist mich diu wise lanch
valde fraudulententer

Er graif mir an den wizen lip
non absque timore
er sprach: „ich mache dich ein wip
dulcis es cum ore“

Er graif mir an das wize gwant
valde indecenter
er fuerte mich dann bi der hant
multum violententer

Er warf mir uf daz hemdelin
corpore detecta
er rant mir in daz purgelin
cuspidē erecta

Er sprach: „Vrowe, gewir baz!
Nemus est remotum.“
diser wech, der habe haz!
Planxi et hoc totum

Er nam den cocher un den bogen
bene venabatur
er selbe hete mich betrogen
ludus compleatur.

CHRISTENTUM IM 13. JAHRHUNDERT

TOMASO DA CELANO

Dies Irae

Dies ire, dies illa
solvat seculum in favilla,
teste David cum Sibilla.

Quantus tremor est futurus,
quando iudex est venturus,
cuncta stricte discussurus.

Tuba mirum spargens sonum
per sepulcra regionum
coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
cum resurget creatura
iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur,
unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit,
quidquid latet, apparebit,
nil inultum remanebit.

Quid sum miser tum dicturus,
quem patronum rogaturus,
cum vix iustus sit securus?

Rex tremende maiestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me, fons pietatis!

Recordare, Iesu pie,
quod sum causa tue vie:
ne me perdas illa die!

Querens me sedisti lassus,
redemisti crucem passus:
tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis,
donum fac remissionis
ante diem rationis.

Ingemisco tamquam reus,
culpa rubet vultus meus,
supplicanti parce, deus!

Qui Mariam absolvisti
et latronem exaudisti,
mihi quoque spem dedisti.

Preces mee non sunt digne,
sed tu bonus fac benigne,
ne perenni cremer igne.

Inter oves locum presta
et ab hedis me sequestra,
statuens in parte dextra!

Confutatis maledictis,
flammis acribus addictis,
voca me cum benedictis!

Oro supplex et acclinis,
cor contritum quasi cinis,
gere curam mei finis!

N E U Z E I T

PHILOSOPHIE UND MAGIE DER FRÜHEN RENAISSANCE

MARSILIO FICINO

De Amore 4, 1 (Übertragung aus Platons Symposion 190ff)

Est Amor prae ceteris diis tutor hominum atque medicus. Oportet autem primum, qualis hominum quondam natura fuerit, animadvertere. Neque enim qualis nunc est olim erat, sed longe diversa. Principio tria hominum erant genera, non solum quae nunc duo, mas et femina, verum etiam tertium quoddam aderat ex utrisque compositum. Praeterea integra erat cuiusque hominis species atque rotunda. Masculinum genus sole genitum erat, femininum terra, luna promiscuum. Unde elato erant animo robustoque corpore. Quare cum diis pugnare tentabant. ... Ideo Iuppiter singulos in longum secuit, duosque fecit ex uno. ...

Postquam natura hominum ita divisa fuit, quisque sui dimidium cupiebat. Igitur concurrebant iactisque circum brachiis se invicem complectabantur, redigi in priorem habitum affectantes. Propterea fame et torpore defecissent, nisi deus congressui modum imposuisset.

Hinc mutuus hominibus innatus est amor, priscae naturae conciliator, volens unum ex duobus efficere hominumque naturae mederi. ...

Quaerit autem sui quisque dimidium. Quotiens itaque dimidium suum alicui (cuiuscumque sexus avidus sit) occurrit, vehementissime concitatur, ardenti inhaeret amore neque momentum quidem patitur ab illo seiungi. Totius itaque reficiendi cupido nixusque amoris nomen accepit. Qui nos praesenti in tempore summopere iuvat, dum in sui dimidium olim amissum quemque conducit et in posterum spem summam inicit nobis deum pie colentibus in veterem figuram restituendo medendoque se nos beatissimos effecturum.

HEINRICH INSTITOR (KRAMER)

Malleus Maleficarum - Hexenhammer (1487), II, 4.

Das Wesen der Dämonen.

(**fol.53^r**) Dicendum, quod <daemon> aereum corpus assumit et quod aliquo modo est terrestre, inquantum habet terrae proprietatem per condensationem; quod sic declaratur:

Nam quia aer (**fol.53^v**) in se non est figurabilis nisi per figurationem corporis alterius, in quo includitur, ideo oportet, quod aer ille sit aliquo modo inspissatus et ad proprietatem terrae accedens. Et hanc condensationem facere possunt daemones et animae separatae per vapores grossos ex terra elevatos et eos congregando et figurando. In quibus manent tamquam motores vitam illi corpori formaliter influentes. Sunt autem in suis assumptis et figuratis corporibus sicut nauta in navi, quam movit. ...

(**fol.54^r**) Daemones carent pulmone et lingua, quam tamen artificiatam ostendere possunt sicut et dentes et labia. Unde non vere et proprie loqui possunt. Sed quia intelligunt et intellectum mentis exprimere volunt, id non per voces, sed per sonos, qui habent quandam similitudinem vocum, faciunt: aerem non respiratum et attractum, ut in hominibus, sed inclusum in corpore assumpto percutiunt.

Nullo modo videt angelus malus per oculos corporis assumpti nec aliquid corporale ei deservit. Unde oculi eorum sunt depicti. Libenter autem sub his similitudinibus hominibus se offerunt, ut eis eorum proprietates, quas naturaliter habent (scilicet videre, audire et loqui), spiritualiter manifestent. Ideo in assumptis corporibus sicut similitudines membrorum habent, ita et similitudines operationum.

Sichtbarer und unsichtbarer Inkubus.

(**fol.55^v**) Ad illud, an maleficae visibiliter vel invisibiliter huiusmodi spurcitas agant, dicendum, quantum experientia nos edocuit, quod licet semper visibiliter ex parte maleficae daemon incubus operetur ita, quod non est necessarium invisibiliter propter foederatum pactum et expressum ei appropinquare. Tamen, quoad circumstantes, saepius ipsae maleficae supinae iacentes in agris seu silvis visae sunt et denudatae supra umbilicum et cruribus se agitantes (**fol.56^f**) daemonibus incubis invisibiliter, quoad circumstantes, cooperantibus. In fine actus vapor nigerrimus in longitudine hominis sursum a malefica in aerem elevabatur: sed hoc rarissime. ... Sed et hoc contigisse certum est, quod mariti interdum viderunt incubos daemones, quos tum non daemones sed viros putabant, cum eorum uxoribus talia peragere. Sed cum arma arriperent et transfodere volebant, subito daemon disparuit se invisibile faciendo.

KUNST UND HUMANISMUS IN ITALIEN

ANGELO POLIZIANO

In Ioctum Pictorem

Ille ego sum, per quem pictura extincta revixit,
 cui quam recta manus tam fuit et facilis.
 Naturae deerat, nostrae quod defuit arti,
 plus licuit nulli pingere nec melius.
 Miraris turrem egregiam, sacro aere sonantem?
 Haec quoque de modulo crevit ad astra meo.
 Denique, sum Ioctus. Quid opus fuit illa referre?
 Hoc nomen longi carminis instar erat.

PIETRO BEMBO

Epitaphium in Raphaelem Sanctium Urbinatem

Ille hic est Raphael, timuit quo sospite vinci
 rerum magna parens et moriente mori.

DIE ENTDECKUNGEN DER FRÜHEN NEUZEIT

AMERIGO VESPUCCI

Mundus Novus - Die „Neue Welt“

Brief an Lorenzo di Pier Francesco de' Medici (Brasilienreise 1503).

Superioribus diebus satis ample tibi scripsi de reditu meo ab novis illis regionibus, quas et classe et impensis et mandato istius serenissimi portugalie regis perquisivimus et invenimus, quasque novum mundum appellare licet, quando apud maiores nostros nulla de ipsis fuerit habita cognitio et audientibus omnibus sit novissima res.

Etenim hec opinionem nostrorum antiquorum excedit, cum illorum maior pars dicat ultra lineam equinoctialem et versus meridiem non esse continentem, sed mare tantum, quod atlanticum vocare. Et, si qui eorum continentem ibi esse affirmaverunt, eam esse terram habitabilem multis rationibus negaverunt. Sed hanc eorum opinionem esse falsam et veritati omnino contrariam, hec mea ultima navigatio declaravit, cum in partibus illis meridianis continentem invenerim frequentioribus populis et animalibus habitatam quam nostram europam seu asiam vel africanam, et insuper aerem magis temperatum et amenum quam in quavis alia regione a nobis cognita, prout inferius intelliges, ubi succincte tantum rerum capita scribemus et res digniores annotatione et memoria, quae a me vel vise vel audite in hoc novo mundo fuere, ut infra patebit.

Tantam in illis regionibus gentis multitudinem invenimus, quantam nemo dinumerare poterat (ut legitur in apocalypsi) - gentem, dico, mitem atque tractabilem. Omnes utriusque sexus incedunt nudi, nullam corporis partem operientes. Et uti ex ventre matris prodeunt, sic usque ad mortem vadunt. Corpora enim habent magna, quadrata, bene disposita ac proportionata et colore declinantia ad rubedinem. Quod eis accidere puto, quia nudi incedentes tingantur a sole. Habent et comam amplam et nigram. Sunt in incessu et ludis agiles et liberali atque venusta facie. Quam tamen ipsimet sibi destruunt.

Perforant enim sibi genas et labra et nares et aures. Neque credas foramina illa esse parva aut, quod unum tantum habeant. Vidi enim nonnullos habentes in sola facie septem foramina, quorum quodlibet capax erat unius pruni. Obturant sibi hec foramina cum petris ceruleis, marmoreis, cristallinis et ex alabastro pulcherrimis et cum ossibus candidissimis et aliis rebus artificiose elaboratis secundum eorum usum. Quodsi videres rem tam insolitam et monstro similem - hominem scilicet habentem in genis solum et in labris septem petras, quarum nonnullae sunt longitudinis palmi semis - non sine admiratione esses. Sepe etenim consideravi et iudicavi septem tales petras esse ponderis unciarum sexdecim. Preter quod in singulis auribus trino foramine perforatis tenent alias petras pendentes in annulis. Et hic mos solus est virorum. Nam mulieres non perforant sibi faciem, sed aures tantum.

Alius mos est apud eos satis enormis et preter omnem humanam credulitatem. Nam mulieres eorum, cum sint libidinosae, faciunt intumescere maritorum inguina in tantam crassitudinem, ut deformia videantur et turpia; et hoc quodam earum artificio et mordicatione quorundam animalium

venenosorum. Et huius rei causa multi eorum amittunt inguina, que illis ob defectum cure fracescunt, et restant eunuchi.

Non habent pannos neque laneos neque lineos neque bombicinos (quia nec eis indigent) nec habent bona propria, sed omnia communia sunt. Vivunt simul sine rege, sine imperio, et unusquisque sibi ipsi dominus est. Tot uxores ducunt, quot volunt. Et filius coit cum matre et frater cum sorore et primus cum prima et obvius cum sibi obvia. Quotiens volunt, matrimonia dirimunt, et in his nullum servant ordinem. Preterea | nullum habent templum et nullam tenent legem; neque sunt idolatre. Quid ultra dicam? Vivunt secundum naturam, et epicurei potius dici possunt quam stoici.

Non sunt inter eos mercatores neque commercia rerum. Populi inter se bella gerunt sine arte, sine ordine. Seniores suis quibusdam contionibus iuvenes flectunt ad id, quod volunt, et ad bella incendunt, in quibus crudeliter se mutuo interficiunt. Et quos ex bello captivos ducunt, non eorum vite, sed sui victus causa occidendos servant. Nam alii alios et victores victos comedunt; et inter carnes humana est eis communis in cibis. Huius autem rei certior sis, quia iam visum est patrem comedisse filios et uxorem et ego hominem novi - quem et allocutus sum -, qui plus quam ex trecentis humanis corporibus edisse vulgabatur. Et item steti diebus viginti septem in urbe quadam, ubi vidi per domos humanam carnem salsam et contignationibus suspensam, uti apud nos moris est lardum suspendere et carnem suillam. Plus dico: Ipsi admirantur, cur nos non comedimus inimicos nostros et eorum carne non utimur in cibis, quam dicunt esse saporosissimam. Eorum arma sunt arcus et sagitte, et quando properant ad bella, nullam (sui tutandi gratia) corporis partem operiunt. Adeo sunt et in hoc bestiis similes. Nos, quantum potuimus, conati sumus eos dissuadere et ab his pravis moribus dimovere. Qui et se eos dimissuros nobis promiserunt.

Mulieres (ut dixi) etsi nude incedant et libidinosissime sint, earum tamen corpora satis formosa et munda, neque tam turpes sunt, quantum quis forsitan existimare posset, quia (quoniam carnose sunt) minus apparet earum turpitudine, que scilicet pro maiori parte a bona corporature qualitate operta est. Mirum nobis visum est, quod inter eas nulla videbatur, que haberet ubera caduca. Et que parturierant, uteri forma et contractura nihil distinguebantur a virginibus; et in reliquis corporum partibus similia videbantur, que propter honestatem consulto pretereo. Quando se christianis iungere poterant, nimia libidine pulse omnem pudicitiam contaminabant atque prostituebant. Vivunt annis centum quinquaginta. Raro egrotant et, si quam adversam valetudinem incurrunt, se ipsos cum quibusdam herbarum radicibus sanant. Hec sunt, que notabiliora apud illos cognovi.

MAXIMILIANUS TRANSYLVANUS

De Moluccis Insulis, 1523 (Magellans Weltumseglung)

Salvi atque incolumes sexto Septembris ad portum Hispali propinquum pervenere: digniores profecto nautae, qui aeterna memoria celebrentur, quam qui cum Iasone ad Colchidem navigarunt Argonautae. Navis autem ipsa multo dignior, ut inter sidera collocetur, quam vetus illa Argo. Haec namque ex Graecia dumtaxat per pontum vecta est, nostra vero ex Hispali austrum versus indeque per universum occidentem perque inferius hemisphaerium in orientem penetrans rursum in occidentem remeavit.

FERNBERGER VON EGGENBERG

Reisetagebuch 1588-1593

Venimus in Barzelor¹, castrum Lusitanum, cui ad quattuor mille passus adiacet civitas magna paganorum, in qua fanum est maximum. Certis diebus convenit in hoc fano magnus numerus mulierum publicarum, quae omne lucrum, quod libidiosa venere faciunt, huic deo offerunt; atque ex hoc aluntur et omnibus ex hoc atrio victus praebetur.

Vidi etiam sedentes in hoc atrio multos Yoges, qui sancti eorum sunt et proprium regem habent. Hi observant praecepta Pythagorae. Quibus certis horis silentium impositum est. Hi scribunt in arenam vel sparsas cineres. Prorsus autem nudi sunt toto corpore et discalceati ita, ut revera monstra naturae eminus appareant; praesertim cum illis horis, quibus silentium habent, tam immoti sedent, ut ne oculum movere videas. Ungues habent digitorum longissimos, barbas largas capillosque promissos, densos ac villosos. Toto corpore sunt incinerati, ut non homines vivi sed statuae magis appareant. Eorum quidam sunt, qui per integrum diem stantes solem ab ortu usque ad occasum fixis oculis intuentur.

NICOLAUS COPERNICUS

de hypothesis motuum caelestium

PRIMA PETITIO

omnium orbium caelestium sive sphaerarum unum centrum non esse.

SECUNDA PETITIO

centrum terrae non esse centrum mundi, sed tantum gravitatis et orbis Lunaris.

TERTIA PETITIO

omnes orbis ambire Solem, tanquam in medio omnium existentem, ideoque circa Solem esse centrum mundi.

¹ Barzelor: heute Barkur, Stadt an der Malabarküste

GALILEO GALILEI

Sidereus Nuncius, Venedig, 1610

Der Mond

Ex iteratis inspectionibus in eam deducti sumus sententiam, ut certo intelligamus, Lunae superficiem, non perpolitam et aequabilem esse, ut magna philosophorum cohors de ipsa deque reliquis corporibus caelestibus opinata est, sed, contra inaequalem, asperam, cavitatibus tumoribusque confertam, non secus ac ipsiusmet Telluris facies, quae montium iugis valliumque profunditatibus hinc inde distinguitur.

Die Galaxien

Est enim Galaxia nihil aliud, quam innumerarum Stellarum coacervatim consitarum congeries: in quamcumque enim regionem illius Perspicillum dirigas, statim Stellarum ingens frequentia sese in conspectum profert, quarum complures satis magnae ac valde conspicuae videntur; sed exiguarum multitudo prorsus inexplorabilis est.

ISAAC NEWTON

Philosophiae Naturalis Principia Mathematica, 1687 (Physik und Theologie)

Hactenus phaenomena caelorum per vim gravitatis exposui, sed causam gravitatis nondum inveni. Sed satis est, quod gravitas revera existat, et agat secundum leges a nobis expositas, et ad corporum caelestium et maris nostri motus omnes sufficiat. Rationem vero harum gravitatis proprietatum ex phaenomenis nondum potui deducere. Et hypotheses non fingo; nam hypotheses seu metaphysicae in philosophia experimentalis locum non habent. Adicere nunc possem nonnulla de spiritu quodam subtilissimo corpora crassa pervadente, et in iisdem latente, cuius vi et actionibus particulae corporum ad minimas distantias se mutuo attrahunt. Quo spiritu et lux emittitur, reflectitur, refringitur, inflectitur, et corpora calefacit. Et hoc spiritu sensatio omnis excitatur, et membra animalium ad voluntatem moventur, vibrationibus scilicet huius spiritus per nervorum capillamenta ab externis sensuum organibus ad cerebrum et a cerebro in musculos propagatis. Sed haec paucis exponi non possunt. Neque adest sufficiens copia experimentorum, quibus leges actionum huius spiritus accurate determinari et monstrari debent.